



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De ordinatis ne de ciuitate in ciuitatem contra ius canonum transferantur.
xcvii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

De ordinatis ne de ciuitate in ciuitatem contra ius canonum transferantur. Cap. XCVII.

Propter multam perturbationē & seditiones quæ fiunt, placuit consuetudinem omnimodis amputari, quæ præter regulam in quibusdam partibus videtur admissa, ita ut de ciuitate in ciuitatem, non episcopus, non presbyter, non diaconus transferatur. Si quis autem post definitionē sancti & magni concilij tale aliquid agere tentauerit, & se huiusmodi negotio māciparit, hoc factum prorsus in irritum ducatur, & restituatur Ecclesiæ cui fuerit episcopus, aut presbyter, aut diaconus ordinatus.

Ex cōcil. Nicano, cap. 15.

De eadem re. Cap. XCVIII.

Quicumque temerè ac periculose, neque timorem domini præ oculis habentes, nec agnoscetes ecclesiasticam regulam discedunt ab Ecclesia, presbyteri aut diaconi, vel quicumque sub regula prorsus existunt, hi nequaquam debent in aliam Ecclesiam recipi, sed omnem necessitatē conuenit illis imponi, ut ad suas parochias reuertantur. Quod si non fecerint, oportet eos communionē priuari.

Ex eodē cap. 16.

Ne presbyteri causa legationis per diuersa mittantur loca cura animarum relicta. Cap. XCIX.

Statutum est, ut presbyteri, sicut hæcenus factum est, indiscretè per diuersa non mittantur loca, nec ab episcopis, nec ab aliis prælatis, nec etiam à laicis, ne fortè propter eorum absentiam, & animarum pericula & ecclesiarum, in quibus constituti sunt, negligantur officia.

Ex cōcil. Aralantēsi, ca. 3.

Quod presbyteri assidue legere debeant.

Caput C.

Presbyteri, oportet vos assiduitatem habere legendi, & instantiam orandi: quia vita viri iusti lectione instruitur, oratione ornatur, & assiduitate lectionis munitur homo à peccato, iuxta illum qui dicebat: In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Hæc sunt enim arma, videlicet lectio, & oratio, quibus diabolus expugnatur. Hæc sunt instrumenta quibus æterna beatitudo acquiritur. His armis vitia comprimuntur, his alimentis virtutes nutriuntur. Sed & si quādo à lectione cessatur, debet manuum operatio subsequi: quia ociositas inimica est aīæ. Et antiquus

Ex dictis August.